



# Disputatio medica inauguralis de catarrho

<https://hdl.handle.net/1874/340682>

6

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
**CATARRHO,**

FAVENTE <sup>QVAM</sup> DEO TER OPT. MAX.

*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. JOHANNIS van MUYDEN,

Jur. Utr. Doct., ejusdemque Facultatis in Inlyta Academia  
Ultrajectina Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicorum consensu, & Nobilissima  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA honoribus, & Privilegiis  
ritè, ac legitime consequendis.

*Eruditorum examini subjicit*

JOANNES FORRESTER, SCOTO-ANANDIANUS.

*Ad diem 2. Maii, hora locoq[ue] solitis.*



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clo Ioc Lxxxvii.

*Excellentissimo, omni disciplinarum & artium  
genere exultissimo, morumque venustate, &  
præstantia pollutissimo, quoad indolem na-  
turalem, humani generis ipsis deliciis, &  
quod majus est, pietate vera Deo cha-  
rissimo, J. V. D.*

V I R O J U V E N I  
**D. ENOCHO**  
P O T T E Y,

Mecænati meo & fautori be-  
nignissimo, dum vivo vene-  
rando.

*Se & exercitium hoc inaugurale*

D. D. D.

JOANNES FORRESTER.

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
CATARRHO.  
THESIS I.



Eccatum, eheu, multas in hoc mundo mutationes effecit, nec ullibi quam in ipso *μηπονόμω* plures & majores; cum verè possit dici *quantum mutatus ab illo Hectorē* & ipsum corpus publica evaserit scena, in qua innumeræ miseriarum atque morborum multitudines horrendas suas peragunt tragedias. Nec datur ullus qui hoc theatrum ac præcipuam ejus partem *caput ipsum* audacius aut frequentius ascendit quam humidus hic athleta *catarrhus*; contra quem immanem & crudelem hostem nobis impræsentiarum arte & rationali methodo potius quam marte & empiricâ est dimicandum. Quod ut felicius fiat, In

II. Nomen ipsum anatomia tradendum, quod tale est qualis est morbus ipse, *ἀπὸ τῆς κατέρρευσης*, hoc est defluere, hinc Latinis defluxio. Anglice à *defluxion* vel à *Rheum* & ipsum denotat symptomata; qui licet nomine notissimus & in praxi vulgatissimus, in natura tamen & causis suis satis est abditus; & variarum descriptionum secundum va- rios autores, nimium est capax. Quibus omisis.

III. Humoris supervacanci vel excrementicii in partes inferiores defluxionem describi posse opinamur, qui vel in capite genitus, vel cum sanguine eo delatus, ibique per meatus obstructiorem detentus, & copiosior collectus tandem vel lege circulationis, vel aliis viis è capite defluit.

IV. Variæ à variis hujus morbi constituuntur differentiæ, ut à causa efficiente & foco, alias per cerebri idiopathiam, alias per sympathiam; & ab ipsa materia, sic datur crassus, tenuis, Calidus, frigidus, &c. & etiam à modo fluendi, alias fluit sensim, alias repente & confertim, ut ferinus, suffocativus, malignus, malignitatis expers, sporadicus & endemius; sed omnis est vel externus vel internus.

A 2

V. Ut

## 4 D I S P U T A T I O M E D I C A

V. Ut ejus naturam paulo exactius cognoscamus, in memoriam revocemus glandulas minimas ad radices capillorum capitis sitas, & vas lymphatica iis propria, quæ totam suam lympham ab arteriis & nervis habent & ex ordine naturæ, vel per insensibilem transpirationem evaporare, vel in venas jugulares externas opportunitate pororum resurre debent: sed cum ordo naturæ invertatur vel ex constipatis poris, & sic inhibita transpiratione insensibili: vel vasa lymphatica nimium in extremitatibus dehiscant, vel medio crepant & rumpantur; tum contingit ut serum istud intercus à proprio fluxu impeditum quaqua-versum se diffundit & huc & illuc gliscit, & hanc affectionem *externam* scilicet parit. Et sic destillatio lymphæ intercutis à glandulis istis capillaribus in partes subjectas externas nervosas & musculosas dici potest.

VI. Qui hac specie afficiuntur, iis caput est admodum grave; & si tangatur, quamvis levius, magis ingravescit, præcipue si capillos dorsum versus reflectant; oculi etiam gravantur; huc & illuc in cervicem se diffundit in dorsum, parotidas, collum, glandulas maxilarum, scapulas, lumbos, & uno verbo in omnes partes carnosas, & ibi lassitudinem quandam laboriosam producit, quæ defatigationi à modico labore ortæ consimilis est.

VII. Quamvis non ita sit periculosa hæc species, tamen cum in omni sexu & ætate inveniatur, & molestiarum satis ibi creet; medelam exposcit; quæ consistit in reseratione pororum cutis capitis, qui in quibusdam oppalentur crassamento sive fordibus, furfuribus, & squammis, & sic glandulae liberentur à materia gravante constipante, & solita naturæ diaphoresis procuretur, liberiorque sit transitus lymphæ ab arteriis & nervis in venas: & si quæ vasa lymphatica sint rupta vel nimium aperta & laxata ad se redeant, & sponte sua resarciri & conglutinari possint: crassius enim serum glandulis hærens eas transcolationi ineptas reddit, & quo diutius hæreat, eo crassius evadit, parte subtiliore avolante: serum ergo crassius attenuandum & pederentim evanquandum, & sic locus purissimæ lymphæ circuitus suos statis periodis compleenti concedetur. Remedia in altera specie, (quæ est altioris indaginis) dicentur.

VIII. Terminus à quo seu pars mandans in secunda specie est ipsa moles cerebri & cerebelli, quam reminisci oportet esse solummodo congeriem glandularum seu papillarum & filamentorum ab arteriis caroticis

caroticis internis uberrimo sanguine rigatarum; & infinitas papillas istas spirituissimam & subtilissimam partem sanguinis percolare, & in filamenta ista seu nervos nomine spirituum animalium impellere; dum reliquæ sanguinis floribus quasi & subtilioribus partibus privatæ per sinuosos cerebri tractus in venas refluent jugulares: qui spiritus, licet pro subtilitate sua tenuissimi & purissimi sint; nihilominus tamen fluidi & vini forsan subtilissimi instar pellicentes; non ita puri quin partes heterogeneas & aquosas sibi implexas habeant; quæ sunt quasi corum phlegma & recrementum. Quibus notatis.

IX. Attendere est, quod nimium experientiâ compertum est; infantes, pueros, puellas, & quosvis pituitos dicto, præsertim austro, nubilo & pluvioso cœlo, aut quovis præterea madore vehementer esse catarrhosos; & propter aquositatem istius lymphæ purissimæ vel spirituum, qua scatent papillæ cerebri, Flaccescunt & collabuntur: & præ nimia humiditate & spirituum mobilium & vivacissimorum pauperie lympham in nervos propellere nequeunt, quam necessariò in subjectas cisternas cerebri & cerebelli delabi oportet.

X. Sicut multa periculosa symptomata habet hic morbus, sic à variis procedit causis, quales sunt aër humidus, austrinus, hyems, balneorum frequentia, diæta pituitosa, vaporosa, otium, inertia, frigus externum humorum tenuiorem exprimendo, calor eundem fundendo, & motum fluxionemque inducens, debilitata & refrigera-ta viscera à viâ refrigerante crudum & pituitosum alimentum corpori exhibente, coctionibus inservire nequeunt; multis pravos & excrementicos humores in corpore suppeditant; cum officio suo non fungentia, à sanguinis massa minimè separant.

XI. Sic in caput cum sanguine pervenit hic morbus, sed qua via ex eodem descendat non idem dicunt omnes autores: quorum quidam petunt viam per infundibulum, glandulam pituitariam, os cribrosum, &c. quibus assentiri haud facile movemur, cum hodierni anatomici omnium ante ipsos longe oculatissimi spondeant se demonstratos ista foramina in osse illo membranâ esse clausa; tamen nihil omnino isthac descendere affirmare vix ausim; cum ista membrana porosa sit oportet, æquè ac omnes aliæ corporis partes; per quos poros parvâ saltem, si non magnâ copiâ, fluere possunt humores isti: num etiam aliæ sunt viæ, quæ adhuc non inventæ sunt, dubitari potest.

XII. Longe probabilior nobis videtur sententia statuens omnem

## 6 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

materiam serosam à glandula pituitaria per duos peculiares ductus in concursibus sinuum lateralium cum sanguine venis jugularibus misceri: atque hinc licet magna scri copia in cerebro plerumque colligatur, tamen quicquid scri à cerebro secerntur, in sanguinem denuo refunditur, eique commiscetur, sicque ad corrediens & per totum corpus circulans in varias partes deponitur: & ope glandularum à sanguine secerntur, quandoque in aspera artera, unde in pulmonem non levi cum periculo decidit, & varia dira & multum metuenda producit; vel cum sanguine arterioso ad membranam dentes cingentem & nervulum, ubi odontalgiam causat; quandoque ad auren internam, ubi tinnitus, dolorem, gravem auditum; quandoque ad ventriculum, fauces, & os; in quibus omnibus varios excitat dolores; ratione scilicet diversæ humoris naturæ in glandulis separatae, ut salsi, pituitosi; insipidi, &c. quæ varietas à varia partium & pororum convenientia & inconvenientia oriri posse videtur; ad separationem in genere, spiritibus animalibus concurrentibus, quippe qui in auxilium partium à multitudine scri oppressarum vocantur; & cum plurimæ sint in corpore glandulæ, non mirum est pluri- mas hoc morbo affici partes.

XIII. Ejus symptomata non pauca numerari possunt, si confideremus multitudinem causarum, à quibus provenit saltem respectu humoris variè peccantis; & partium seceruentium scilicet glandularum, & recipientium, in quas depluit: in oculos incurunt & in genere sunt excretiones humoris tenuis, crassi, acris, mitis, &c. aut saltem collectiones in partibus, capit is gravedo, somnolentia, hebetudo, oculi madentes, coryza, navium stillicidium, oris fluor, tussis, asthma, inappetentia, colica pituitosa, flatulenta, imo quandoque diarrhoica, sternutatio narium quandoque excoriatio, oris salsedo & amaror, gingivæ erosæ, fauces ardentes, narium titillatio & rubedo; quæ omnia in causas suas facile resolvuntur, nisi brevitat i esset studendum.

XIV. Catarrhus majus minusve periculum inducit, prout humor est magis minusve acris, salis, pituitosus, lenis, mitis, & sic porrho. Et prout in partes magis vel minus nobiles defluit: Vel etiam dolorem pro partium acutiore vel obtusiore sensu insert maiorrem aut minorem. Sicut enim symptomatum multitudine est affectio molestissima, ita etiam periculosissima: nam humoribus his copiosis & acribus subito ad fauces & pulmones defluentibus, repentina suffo-

suffocatio, vel pulmonis erosio & exulceratio, hinc tabes est præ foribus: ad alias vero partes interiores ruentibus apostemata occulta & periculosa facilè induci possunt; nonnunquam tremor ex spirituum paucitate & debilitate, epilepsis, spasmus, convulsio, &c. ex sero illo nervos obstruente, & heterogeneis particulis purissimis spiritibus adhærentibus.

XV. In curatione si à pituitoso humore catharrus fiat: pituita e toto corpore est evacuanda, nec-non cerebrum corroborandum & calescendum, ejusque obstrunctiones tollendæ. Et spiritus sufficienes sanguini suppeditandi. hoc vel tali haustu corpus purgandum.

**¶.** Fol. sen. mund. 3ij.  
 agaric. alb. 3j.  
 rad. jalap. 3iij.  
 semen. anis. 3j.  
 cinamom. elect.  
 zinzib. alb. a 36.  
 decoct. hord. q. f. fiat infus.  
 adde colaturæ elect. diaphæn. 3ij. m. f. haustus.

XVI. Electuaria possunt esse ex hier. picr. diaphæn. diaprun. quæ per se, in bolo, vel in decocto, Vel aqua aliqua pectorali dissoluta exhiberi possunt: ut & pulveres diaturbith. diacarthami, jalap. plus vel minus pro constitutione ægri, pillul. coch. extract. cathol. aloes rotat. quæ omnia, si opus est, fortiora & validiora redi possunt, admixtis aliquot granis diagrydii, alhandul. &c.

XVII. Errhina humorem tollunt & specialim è capite: masticatoria quoque, sternutatoria ex salvia, majorana, helleboro, tabacco. &c. quorum omnium formulæ & usus apud practicos satis communes: ab euphorbio ut nimis acri abstinerem: in cæteris etiam cautè procedendum, ne in fluxione recenti, quæ sit ad oculos sternutatoriis, vel ad fauces masticatoriis facile utamur, ne pars affecta affluxu humoris magis obruatur.

XVIII. Quod si humoris tanta sit fluxilitas & etiam acrimonia ut molestias inducat non ferendas, imo præsens aut gravioris morbi aut ipsius vitæ periculum quandoque immineat, eo in casu, cæteris prætermisssis, validioribus fluxionem sistere necesse est, ut syr. pap. simp. ad aliquot drachm. admixto communi amygdalato. emulsi. sem. 4. frigid. maj. aut aq. lactuc. nymph. &c. item pillul. de styrac. de cynogloss.

## 8 DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS.

gloss. ad gran. viij. vel ð. quandoque laudan. op. gr. iiij. aut iiiij. pro conditione ægri & morbi infestantis.

XIX. Quandoque humor nimis latus, viscidus, crassus est, ut non ita facilè educi possit; quo circa attenuantibus subinde uti oportet; qualia sunt majorana, mentha, scopolendrium, flores rosmarin. lavendul. stachad. ex quibus fiunt pulveres, tabell. elect. syrup. decoct. quæ in pharmacopæis ad usum inveniuntur. & apud practicos variis modis composita legi possunt.

XX. Deinde persistente morbo, ad sudorifera fugiendum, quæ caput totumque corpus ab humoribus noxiis liberare possunt, ut decoctum ex ligno guajaco, sassafras, sarsaparilla, china, & similibus. Addi possunt sub finem decoctionis herbae aliquot pro cerebro confortando, ut salvia. rosmarin. flor. stachad. fol. lau.

XXI. Ad roboranum caput fiat cucupha ex flor. stachad. major. lavend. salvi. origan. absinth. a pt. eq. nuc. mosc. mac. a 3ij. vel simile.

XXII. Tempora & vertex possunt quotidie hoc vel simili linimento illiniri

℞. ol. rosmar. succin. major. a 3j.

Ol. nuc. moschat. express. 3ij.

unguent. martiat. 3ij. m.

f. linimentum. etiam inungantur tempora aq. Regin. Hung. vel sp. vin.

XXIII. Etiam suffimigia, quæ quandoque in glandulas partium affectarum agunt, & cum aëre ad pulmonem descendantia sanguini miscentur; ex succino, mastiche, thure, benzoin, caryophyl. nec vulgare ex nicotiana omittendum.

XXIV. Licet catarrhus ex sua natura v. s. non indicet; tamen saepissime ratione circumstantiarum cum utilitate adhiberi potest; adeoque vel ad evacuandum vel ad revellendum; vel in casu evacuationis solitæ, mensum, hæmorrhoidum, &c. suppressæ.

XXV. Fonticulus in brachio vel circa nucham, ubi etiam vesicatoria poterunt adhiberi.

XXVI. In diæta aër sit modicè calidus: cibi sint euchymi & eupepti, & potius assi quam elixi, conditi cum aromaticis & cephalicis, calefacientibus attenuantibus, & siccantibus pro re nata. Alitus quotidie arte vel natura respondeat. Caput mediocriter calidum servetur. Potus sit cervisia tenuis & pauciore quantitate. Omnis motus vehemens & subitaneus & animi perturbationes vitentur.

F I N I S.